# OFFICIVM S. MARIÆ MAGDALENÆ DE PAZZIS VIRGINIS

Ordinis B.^{mæ} Virg. Mariæ de Monte Carmelo.

SEMIDVPLEX.

*A Sac. Rit. Congreg. recognitum, & approbatum.*

De mandato Sanctissimi D. N. D. CLEMENTIS Diuina dispositione Papæ X. in Breuiario Romano apponendum.

*Et ab omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, qui ad horas Canonicas tenentur, recitandum de precepto die 25. Maij.*





ROMÆ, Ex Typographia R. Cameræ Apost. 1670.

Superiorum permissu, & Priuilegio.

# IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ DE PAZZIS VIRGINIS

## ORDINIS CARMELITARVM

**Semiduplex.**

*Omnia de Communi vnius Virginis, præter Orationem propriam, & Lectiones secundi Nocturni.*

*Oratio.*

DEVS Virginitatis amator, qui Beatam Mariam Magdalenam Virginem tuo amore succensam, cœlestibus donis decorasti; da, vt quam festiua celebritate veneramur, puritate, & charitate imitemur. Per Dominum nostrum &c.

*Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurr.*

IN II. NOCTVRNO.

*Lectio IV.*

MARIA MAGDALENA illustriori Paziorum genere Floren-

tiæ nata, ferè ab incunabulis iter perfectionis arripuit. Decennis perpetuã virginitatem vouit, susceptoque habitu in Monasterio Sanctæ Mariæ Angelorum Ordinis Carmelitarum, se omnium virtutum exemplar exhibuit. Adeò casta fuit, vt quicquid puritatem lędere potest, penitus ignorauerit. Quinquẽnium, Deo iubẽte, solo pane, & aqua transegit, exceptis diebus Dominicis, quibus cibis quadragesimalibus vescebatur. Corpus suum cilicio, flagellis, frigore, inedia, vigilijs, nuditate, atque omni pœnarum genere cruciabat.

*Lectio V.*

TAnto igne diuini amoris æstuabat, vt eo ferẽdo impar, ingesta aqua pectus refrigerare cogeretur. Extra sensus frequenter rapta, diuturnas, & admirabiles extases passa est, in quibus, & arcana cœlestia penetrauit, & eximijs à Deo gratijs illustrata fuit. His autem munita longum certamen à principibus tenebrarum sustinuit, arida, desolata, ab omnibus derelicta, varijsque tentationibus vexata; Deo sic permittente, vt inuictæ patientiæ, ac profundissimæ humilitatis exemplar præberet.

*Lectio VI.*

CHaritate erga proximum singulariter

ter enituit; nam sæpe noctes ducebat insomnes, vel obeundis Sororum ministerijs, vel inseruiendo infirmis occupata, quarum aliquando vlcera labés sanauit. Infidelium, & peccatorum perditionem amarè deflens, se ad quælibet pro illorum salute tormenta paratam offerebat. Multis ante obitũ annis, vniuersis cœli delicijs, quibus copiosè affluebat, heroica virtute renuncians, illud frequenter in ore habebat, Pati nõ mori. Tandem longa, & grauissima infirmitate exhausta transiuit ad Sponsum die vigesima quinta Maii anno millesimo sexcentesimo septimo, expleto anno quadragesimo primo ætatis suæ. Eam multis in vita, & post morté miraculis claram, Clemens IX. Sãctarum Virginum numero adscripsit, cuius corpus in præsentem diem incorruptum conseruatur.

IN III. NOCTVRNO

*Euangelium*: Simile est Regnum Cœlorum decem Virginibus.

*Missa*. Dilexisti iustitiam &c. *cum Oratione propria*. Deus Virginitatis &c.

S*Ac. Rituum Congregatio, ad relationem Eminentissimi D. Cardinalis Bona, præfatas Lectiones, & Orationem S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virginis Ordinis Carmelitarum diligenter reuisas, approbauit pro Ecclesia Vniuersali, recitandas ab omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, sub ritu Semiduplici de præcepto die 25. Maij eius festo, ac imprimi posse concessit. Hac die 29. Nouembris 1670.*

M. Episc. Portueñ Card. Ginettus.

Loco † Sigilli.

*Bernardinus Casalius S. Rit. Congreg. Secr.*

*SAc. Rituum Congregatio, ad relationem Eminentissimi D. Cardinalis Bona, præfatas Lectiones, & Orationem S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virginis Ordinis Carmelitarum diligenter reuisas, approbauit pro Ecclesia Vniuersali, recitandas ab omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, tàm Secularibus, quàm Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, sub ritu Semiduplici de præcepto die 25. Maij eius festo, ac imprimi posse concessit. Hac die 29. Nouembris 1670.*

M. Episc. Portueñ Card. Ginettus.

Loco † Sigilli.

*Bernardinus Casalius S. Rit. Congreg. Secr.*